SOLENNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO LUDOVICIANO

RITE CELEBRANDA

COLLEGII NOMINE

INDICIT

CONRADUS WITTMANNUS,
PHIL. DOCT. GYMNASII PROFESSOR.

SUEVOFURTI, MDCCCXL.

EX OFFICINA BRUEGELIANA.

Quae orationis particulae praepositiones nominantur a grammaticis, eae primo initio nihil aliud, quam adverbia localia fuerunt. Testis est Homerus, in cujus carminibus plurima inveniuntur exempla, quae id aperte docent. Linguae cuilibet id natura insitum esse videtur, ut primum per singulas voces singulae exprimantur notiones. Casus ipsi eidem notionum relationi indicandae inserviunt, ad quam praepositiones usurpantur. Sic dicitur sine praepositione *τρέχω πεδίοιο*, *νέφος ἐφαίνετο ὀρέων*, *βαίνω πᾶσαν τὴν ἡμέραν*.

Quo majorem autem deinde homines operam collocant in animis pariter atque ingeniis excolendis, eo major etiam fit linguae accessio. Tum non amplius orationem quasi fluctuare patiuntur, sed singulas ejus partes accuratius definiunt simulque plenius et perfectius loqui student. Qua re oratio non modo copiosior sed etiam adstrictior aliquantoque contractior fit. Ut res enim, latius patente sententia, distinctius dilucidiusque exprimantur, partes illas, quarum aliae alias determinant, quasi vinculis adstringi opus est. Itaque adverbia, quae inprimis determinandis verbis inserviunt, aut propius ad verba accedunt, ut Hom. Iliad. l. XIII, 368. *τῷ δὲ Πρίαμος ὑπό τ' ἔσχετο*, adeoque cum iis ipsis conglutinantur, ut Hom. Od. l. IV., 6. *ὑπέσχετο καὶ κατένευσε δωσέμεναι*, aut si substantivum quoddam vel pronomen determinant, iis sese admovent, aut simul et verbo et nomini se conjungunt, ita ut bis collocentur. Et talia adverbia, quae hoc modo conjungebantur, a grammaticis praepositiones sunt nominatae. Neque immerito. Huic enim adverbiorum conjunctioni cum nominibus ipsis aut cum verbis ab Homeri inde temporibus paullatim ita assuevit lingua, ut, ubi poëtae postea liberiori isto dicendi genere, quo ille, utentes praepositionem seorsim collocavissent a verbo, eam distraxisse dicerentur. Praepositiones autem in Homero sunt ita comparatae; ut aliae prorsus vim et virtutem adverbiorum teneant ,aliae jam ita, quemadmodum posterior aetas eorum usum constituit, collocentur. Non forma, sed usu et significatione distingui solent, ut idem verbum nunc adverbium nunc praepositio sit existimanda.

1*

Praepositiones autem per se ipsae proprie non casum nominis vel pronominis regunt, sednotio verbi et praepositionis conjuncta id munus obit. Quapropter una eademque praepositio in graeco sermone, prout res postulat, saepe tres casus admittit, genitivum quum unde quid veniat, accusativum quum quo quid abeat, dativum quum in quo vel in qua re quid acquieverit, indicatur. Sed non omnia adverbia, quae cum nomine conjunguntur ut *ἐγγύς, ἄγχι, πλησίον, πέλας, χωρίς, πόῤῥω, ἐκτός, ὑψόθεν, ἐναντίον, ἀντίον ἄντα, ἀντικρύ, εὐθύ, μέχρι*, **alia hujuscemodi, ideo sunt praepositiones nominata; neque vero ipsa** *ἄνευ* **et** *ἕνεκα*, **quae nusquam sine genitivo inveniuntur, a grammaticis in illarum societatem sunt assumta. In praepositionum autem numero ab antiquis grammaticis referebantur ea tantum adverbia, quae jam primo ab initio sunt adhibita ad loci notiones significandas, simulque usu frequenti coarctata postea ad conjunctionem et connubium quasi cum verbis ipsis ineundum erant aptissima. Sunt haecce:** *εἰς, ἐν, ἐξ, ἀπό, διά, πρός, ἐπί, ἀνά, κατά, παρά, μετά, σύν, ἀντί, ἀμφί, περί, πρό, ὑπέρ, ὑπό.*

Quae praepositiones quoniam in vulgari sermone haud facile solae inveniuntur, sed aut cum nomine vel pronomine, aut cum verbo quo conjunguntur, verae nominantur. Interdum etiam cum adverbiis componuntur ut *εἰς τότε, ἐκ τότε, εἰς νῦν, ἔμπροσθεν, κατόπισθεν, ἐξοπίσω, εἰσοπίσω, ἔξωθεν, ἐκτόσθεν, ἐξ ὁμόθεν, ἀπεντεῦθεν, παραυτόθεν, καταυτόθι, παρ̕ αὐτόθι, εἰς ὅτε, ἐς οὗ, εἰσοψέ, προπέρυσι, εἰς αὐτίκα, παραυτίκα, ἐφ̕ ἅπαξ, εἰσάπαξ, καθάπαξ, εἰς πρόσθεν, εἰς τὸ πρόσθεν, ἐπίπροσθεν, ἐπίπαγχυ, ἐπὶ μᾶλλον, ἐπιπρόσω, ὑποκάτω, ὑπεράνω,* ***inante, exinde, deinde, desub, exadversum, desuper, insuper;*** **tum autem illae substantivorum vices obeunt, ita ut** *εἰς τότε* **pro** *εἰς ἐκεῖνον τὸν χρόνον, ἐκ τότε, εἰς νῦν* **pro** *ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου, εἰς τὸν παρόντα χρόνον* **collocetur.**

Lingua, quum magis magisque exculta et perfecta multas rationes non satis per illas praepositiones posset exprimere, non in illis acquievit, sed plura alia adverbia vel substantiva similiter adhibere coepit, quae progrediente tempore plus minus praepositionum vim et potestatem induebant, ut *ἄνευ, πλήν, μεταξύ, ἅμα, δίχα, τῆλε, νόσφιν, ἕνεκα, χάριν, δίκην,* ***causa, gratia, instar, procul,*** **aliaque hujuscemodi.**

Quae quum in vulgari lingua saepe etiam sine casu collocentur, spuriae dicebantur praepositiones.

Intercessit paullatim inter adverbia et praepositiones discrimen hocce, ut illa suam naturam dignitatemque in oratione constanter tenerent, et integram exhiberent notionem hae vero non per se ipsae collocari solerent, sed potestate propria abjecta significarent tantum, qua ratione notio quaedam ad verbum esset referenda, adeoque vices interdum cujuslibet casus obliqui nominum ipsorum obirent, ut *προαιρεῖσθαί τι ἀντί τινος, τὸ ἀμφὶ Κῦρον στράτευμα, τὰ ἀμφὶ τὸν πόλεμον ἀσκεῖν, ὄναρ ἀπὸ Διός,* ***frondes ex arboribus, cortex ex arboribus, victor ab Oechalia,*** **Ovid. Met. IX., 136., —** ***ab An-***

dria ancilla, Ter., — *gubernator a navi*, Plaut., — *canes ad venandum*, — *spem habere in quo*, Cic. pr. Quinct. 5.; ut deinde illa ceterarum sententiae vocum ratione non habita quemcunque volunt occupare locum, possent, hae vero nisi cum verbis ipsis compositae erant, totas se fingerent et accommodarent ad nominum, quibuscum conjungerentur, arbitrium nutumque; tum ut illa maximam partem in diversos flexus abirent, similesque haberent in exitu casus ac nomina et adjectiva, ut *ἀγχοῦ*, *τηλοῦ*, *περαιτέρω*, *ἄφνω*, *ἄνεω*, *ὀπίσω*, *ἔξω*, *ἔσω*, *ἄνω*, *κάτω*, *πρόσω*, *κοινῇ*, *ἰδίᾳ*, *πεζῇ*, *μακράν*, *πλησίον*, *σήμερον*, *procul*, *privatim*, *pedatim*, *retrorsum*, *foras*, *extra*, *intra*, *supra*, *infra*, *ultra*, *juxta*, *subito*, *repente*, *hodie*; in his, propriis scilicet praepositionibus, tale quid cognosci non possit (frequenti enim usu casus illi sive flexiones, quibus antea interior earum conjunctio cum ceteris sententiae cujusdam partibus solebat indicari, abstrusi sunt); denique ut adverbia tanquam sui juris voces magis retinerent suam significationem, quam praepositiones, quae pro usu diverso in diversas abierunt significationes.

Primum igitur, ut supra dixi, praepositiones adhibebantur ad status quosdam loci verbis declarandos. Hac in significatione proxime accedunt ad adverbia, ex quibus sunt ortae. Tum quia tempus cum spatio multas habet affinitates, ad tempus transferebantur. Itaque et *ἀπὸ τῆς πόλεως ἀπιέναι*, *ab urbe discedere*, et *ἀπὸ παιδὸς ἄρξασθαι*, *a puero*, *a parvo initium facere*; *ἐπὶ Σάρδεων*, *ἐπὶ Σάρδεις φεύγει*, *Sardes fugit*, et *ταῦτα ἐπὶ Κύρου ἐγένετο*, *haec Cyro regnante sunt facta*; *ἐπὶ τοὺς πολεμίους στρατεύεσθαι*, *contra hostes proficisci*, et *ἐπί ἀνθρώπων γενεάν*, *in hominum aetatem*, dicebatur. Et ita usurpatae non multum significatione inter se differunt. Denique ad indicandas rerum causas alias ex aliis aptas, ad ostendendam rationem viamque et ceteras relationes adhibebantur, ut *εἰς ὀλίγους μᾶλλον τὰς ἀρχὰς ποιεῖν*, *magistratus ad pauciores deferre*, *εἰς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν*, *εἰς ἅ*, *quamobrem*, *ἐπὶ ξύλον ἐς μηχανὰς παραπέμπειν τινά*, *mittere ad comparandam ad machinas faciendas materiam*, *ἀπὸ τῶν ἐνσπόνδων ἔσται πληροῦν τὰς ναῦς*, Thuc., *classem instruere licebit ex foederatis civitatibus*, *ἀπὸ στόματος*, *memoriter*, *ζῆν ἀπὸ τῶν ἰχθύων*, *piscibus vitam sustentare*, *ἐκ τοῦ σοῦ τρόπου*, *e more tuo*, *πολλοὶ κατὰ χρήματα δοξάζουσιν εἶναι πλουσιώτεροι ἢ κατὰ τὴν ἑαυτῶν οὐσίαν*, *sescundum pecunias se opulentiores*, *quam revera sint*, *existimant*, *μετὰ ἀκραιφνοῦς τῆς ξυμμαχίας ἤνθησαν*, *cum integra societate floruerunt*, *ᾄδειν πρὸς κιθάραν*, *ὑπὸ δέους*, *prae timore*.

Es his paucis exemplis jam praepositiones longius recedere a prima significatione conspici licet. Saepius naturam suam mutavisse videntur, ut facile tibi veniat opinio, contineri in iis revera plures diversas significationes. Id praecipue credideris, quum ex graeco in latinum sermonem transtuleris. Ut enim multiplices illae rationes, ad quas una pnaepositio saepe adhibetur, alio sermone reddantur, ad plures easque interdum inter se contrarias praepositiones confugias necesse erit. Sic *ὑπό* praepositio, prout sententia postulat, qua usurpatur, modo cum praepositionibus *sub*, *infra*, modo cum *ab*, modo

cum *in*, *ad*, *per*, modo cum *prae* est commutanda in vertendo, quarum praepositionum latinarum sunt quae rursus significationes continent graecae ὑπό plane contrarias. Neque tamen quascunque aliqua praepositio habere videtur significationes, uni illae vere sunt attribuendae; omnes ex communi fonte sunt haustae, ex ea significatione, ex qua praepositio est quasi nata. Habet igitur quaevis prapositio suam propriam significationem, quae, etiamsi nonnunquam cum alia commutari possit, ubique tamen est tenenda.

Inprimis in praepositionum usu linguae omnes inter se differunt, et si in aliqua re, certe in hac suam unaquaeque viam persequitur. Et eae ipsae praepositiones, quae e communi fonte emanaverant, quod ad usum spectat, non eandem iniverunt viam rationemque, sed diversae discesserunt. Quemnam fugit, latinarum praepositionum quae dicuntur verae, *ex*, *in*, *sub*, *ab*, *pro*, *cum*, originem ab graecis ἐξ, ἐν, ὑπό, ἀπό, πρό, ξύν duxisse? Quae autem illarum inveniuntur, quae omnibus numeris et partibus cum his congruant ac conveniant? Hoc autem eo minus est mirandum, quum ne in eadem quidem lingua eaedem eodem prorsus modo praepositiones soleant usurpari.

Praepositiones graecas primo initio similiter cecidisse, atque alia nomina, id cum ex nonnullis formis antiquis, quae adhuc servatae sunt, tum ex eo quo modo posterioribus temporibus substantiva vel adjectiva vim potestatemque praepositionum sint nactae, cognosci potest. Ex duodecim legum tabulis Cicero de legg. libr. II. c. 8. affert haecce: „Divos et eos, qui coelestes semper habiti, colunto, et ollos, quos *endo coelo* merita locaverunt;“ ubi *endo* adjectivum est. *Endo* etiam legitur in Gellii Noct. Attic. libr. V. cap. 19; XX. c. 1. *endo filio*; et in Lucret. lib. VI. v. 890., *endo mari*; quinimo *indu* reperitur ex Ennio apud Macrob. Sat. lib. VI. v. 2. et ex Lucil. ap. Lactant. lib. V. 9.

Sicuti praepositio latina *in* orta est ex obsoleto quodam adjectivo *indus*, quod graeco ἔνδος, cujus neutrum tantum ἔνδον, adverbii loco usurpatum, superest, respondet, ita haud dubie ἐν ex ἔνδον prodiit. Ejus rei testimonium est, quod ἔνδον poëtae aeque ac ἐν adhibuerunt, ut Pindarus in Nem. III, 93. τράφε λιθίνῳ Ἰάσον᾽ ἔνδον τέγει, *educavit cum in sua domo lapidea*, *in spelunca saxi*; VII, 65. ἔνδον ἄλσει, *in luco*; Homerus in Iliad. lib. XX, 13. οἱ μὲν Διὸς ἔνδον ἀγηγέρατο, *in Iovis domum convenerant*. Cui hic non in mentem venit notum illud ἐν Ἀΐδου vel εἰς Ἀΐδου? Vid. Iliad. lib. XXII, 52; XXIII, 19. 103. 200; Od. X, 175; XI, 211. 277.; XV, 350.

Id nos in eam opinionem adducit, ut etiam prapositiones ἐξ, εἰς, πρός, σύν, ἀντί, ἐπί, περί, ἀμφί, διά, μετά, ἀνά, κατά, παρά ex neutro pluralis adjectivorum ἔξα, εἴσα, προσα, ὕπερα, ξυνά, ἄντια, ἔπισσα, πέρισσα, ἄμφω, δοιά, μέτα (μέσα), ἄνα, κάτα, πάρα, praepositiones ἀπό, ὑπό, πρό autem ex dativo singularis ἄπῳ, ὕψῷ, πρωΐ putemus ortas esse. Dixerit forte quispiam, At non praepositiones istae ex adverbiis vel adjectivis, imo vero haec ipsa e praepositionibus, ut primitivis verbis, sunt orta. Ad haec est

respondendum, nusquam in oratione adhibita esse primitiva sine flexionibus sive casibus, sed eas ad conjungendas notiones singulas, quibus sententia enuntietur, esse maxime necessarias. Significatur enim iis ipsis flexionibus, quem singulae voces locum in tota sententia teneant et qua ratione cohaereant eae cum ceteris orationis partibus. Et si in quibusdam verborum formis primitiva usurpata videntur, ut in Imperativo *i*, *sta*, aliisque, ea tamen oratione implicita non reapse sunt primitiva, sed iis inest quid, quo relationem indicent ad ceteras orationis partes. Tum praepositiones *ἀμφί* et *διά* e numeralibus *ἀμφώ* et *δύο*, neque vero e contrario haec a praepositionibus duci potuisse apertum est. Denique exemplum illud supra allatum „endo coelo" luce clarius ostendit, praepositiones vel ex adjectivis et adverbiis, quae vice nominum funguntur, vel e nominibus ipsis esse deductas. Et in latino sermone multa sunt adverbia, quae simul vice praepositionum fungnntur, in quibus ejusmodi flexio est servata, ut *supra*, *infra*, *extra*, *intra*, *ultra*, *contra* aliaque. Nata sunt illa ex adjectivis *superus*, *inferus*, *exterus*, *interus*, *ulterus*, *conter*, sive *conterus*. Primo enim initio plenius supera, infera parte (regione), tum paullatim substantivo omisso et adjectivo contracto, supra, infra dicebatur. Argumento esse possunt formae ut *econtra*, *e contra*, *controversus*.

Confirmatur autem sententia nostra, quod adverbia *ἄνω*, *κάτω*, *ἔξω*, *εἴσω*, *ἔσω*, *πρόσω*, quae casu adhuc non prorsus abolito (dativi enim sunt) flexa de adjectivis se ostendunt, et adjectiva *ἀντίος*, *ἀπώτερος*, *ἀπώτατος* (*ἀπός* obsolevit) antiquis temporibus fere aeque adhibita fuerant, atque ea adverbia, quae decurtata vel mutata in Homero ancipitem induerunt naturam, postea autem praepositiones sunt facta. Exempla quaerentibus offeruntur in Homero plurima.

Iliad lib. XXI, 125. *Σκάμανδρος οἴσει εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον*, *te abripiet in maris sinum*; — lib. III, 364. *ἰδὼν εἰς οὐρανὸν εὐρύν*: — Iliad. XVI, 365. *ἔρχεται οὐρανὸν εἴσω*: — Od. XI, 150. *ἔβη δόμον Ἄϊδος εἴσω*: — *ὑπὲρ οὐδὸν ἐβήσατο δώματος εἴσω*: — Iliad. VIII, 367. *εὖτέ μιν εἰς Ἀΐδαο πυλάρταο προὔπεμψεν*: — Od. XVI, 328. *κήρυκα πρόεσαν δόμον εἰς Ὀδυσῆος*.

Similiter Plaut. in Cist. III, 19. ubi hanc ego retulero intra limen; Nep. Ages. 5. adversarios intra moenia compellere; Cic. orat. II, 34. regiones, intra quas venias.

Od. XXII, 378. *τὼ δ' ἔξω βήτην μεγάροιο κιόντε*: — Iliad. XI, 457. *ἔγχος ἔξω τε χροὸς ἕλκε* (*ex corpore extraxit*): — Iliad. X, 94. *κραδίη δέ μοι ἔξω στηθέων ἐκθρώσκει*: — Iliad. XXIII, 353. *ἐκ δὲ κλῆρος θόρε Ἀντιλόχου*: — 509. *ἐκ δίφροιο χαμαὶ θόρε*: — XVI, 427. *ἔκθορε δίφρου*: — cfr. Iliad. XV, 573., 580; VII, 182; — Iliad. XI, 219. *ὅςτις δὴ πρῶτος Ἀγαμέμνονος ἀντίος ἦλθεν*, *primus exadversus Agamemnonem ivit*; — XVII, 31. *μηδ' ἀντίος ἵστασ' ἐμεῖο* (ne te mihi objice): — XXI, 481. *πῶς δὲ σὺ νῦν μέμονας ἀντὶ ἐμεῖο στήσεσθαι*: — XVII, 67. *οὐδ' ἐθέλουσιν ἀντίον ἐλθέμεναι*: — XX, 80. *Αἰνείαν ὦρσεν Ἀπόλλων ἀντία Πηλείωνος*, *contra Achillem incitavit*; — XX, 112. *Ἀγχίσαο πάϊς — ἀντία Πηλείωνος ἰών*: — XXII, 253. *με*

θυμὸς ἀνῆκεν στήμεναι ἀντία σεῖο, exadversus te stare; — XXI, 477. *ἄντα Ποσειδάωνος ἐναντίβιον πολεμίζειν*: — XX, 75. *Ἀχιλλεὺς Ἕκτορος ἄντα μάλιστα λιλαίετο δῦναι ὅμιλον*, *maxima cupiditate flagrabat mediam in aciem irruendi*, *exadversus Hectorem pugnaturus*; — XX, 97. *οὐκ ἔστ᾽ Ἀχιλῆος ἐναντίον ἄνδρα μάχεσθαι*: — XX, 67 *ἔναντα Ποσειδάωνος ἵστατ᾽ Ἀπόλλων*, — *ἄντα δ᾽ Ἐνυαλίοιο Ἀθήνη*, — *Ἥρῃ δ᾽ ἀντέστη Ἄρτεμις*: — VIII, 300. *οἰστὸν ἀπὸ νευρῆφιν ἴαλλεν Ἕκτορος ἀντικρύ*: — V, 130. *μήτι σύγ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖς ἀντικρὺ μάχεσθαι.*

Haec adjectiva, adverbia, praepositiones ubi loci sensu collocantur, haud admodum discrepant inter se; quum praepositiones autem liberius ad tempora et caussas indicandas usurpantur, tum magis magisque sejunguntur ab illis, quae nonnisi de loco adhiberi solent. —

Ἀντὶ proprie de loco, in quo quid *ex adverso, a fronte,* ponitur, dicitur. Haec demonstrant praeter ea verba, quae cum *ἀντί* composita primam tenent notionem, exempla haecce: Homer. Od. IV, 115. *χλαῖναν ἀντ᾽ ὀφθαλμοῖιν ἀνασχών*, *ante oculos, ante ora praetendens pallam*; — Hesiod. op. 725. *ἀντ᾽ ἠελίοιο τετραμμένος ad solem versus*; — Iliad. XV, 415. *Ἕκτωρ ἀντ᾽ Αἴαντος ἐείσατο*: — Iliad. VIII, 233. *Τρώων ἀνθ᾽ ἑκατόν τε διηκοσίων τε ἕκαστος στήσεσθ᾽ ἐν πολέμῳ; νῦν δ᾽ οὐδ᾽ ἑνὸς ἄξιοί εἰμεν.* Et Romani praepositione *ante*, quae ex *ἀντί* orta est, eodem fere modo usi sunt, ut multi scriptorum loci ostendunt, quorum hos tantum afferam: Cic. pro Rosc. Am. V, 12. hic in foro, *ante* tribunal tuum; — Liv. XXXXII, 58. *ante* se statuit funditores; — Liv. XXI, 41. *ante* moenia; — Suet. Galb. 10. propositis *ante* se damnatorum occisorumque a Nerone quam plurimis imaginibus.

Hac nativa significatione *ἀντί* in poëmatis tantum, in oratione uno Xenophontis loco excepto nusquam invenitur. Est autem locus ille in Anabas. l. IV, 7, 6. Graeci fame coacti castello, quo Taochi multum frumenti convexerant, potituri erant. Quoties autem aggrederentur, e castello, quod natura munitum ab una parte tantum aditum praebebat, saxa devolvebantur Quum jam spem abjecissent id expugnandi, Xenophon imperavit, ut milites exadversus pinos, quibus haud ita multum inter se distantibus duae partes loci erant obsitae, consisterent, unde lapidum copia ab hostibus consumta facile illud caperent. Quibus pinis tectis quid mali, inquit, oppidani sive jaciendo lapides sive devolvendo saxa nobis inferant? Verba ejus sunt: *τοῦ χωρίου ὅσον πλέθρον δασὺ πίτυσι διαλειπούσαις μεγάλαις, ἀνθ᾽ ὧν ἑστηκότες ἄνδρες τί ἂν πάσχοιεν ἢ ὑπὸ τῶν φερομένων λίθων ἢ ὑπὸ τῶν κυλινδουμένων;* In hoc loco Xenophontis nonnulli jam offenderunt eumque conjectura emendandum censuerunt. Ita Stephan: *ἀφ᾽ ὧν*, Hutch. *ὑφ᾽ ὧν* conjecerunt. Sed vulgata et antiquo usu et omnium librorum consensu et Suidae auctoritate est confirmata.

Tum *ἀντί* dicitur, quum quis alteri *ex adverso* ponitur, quem exaequet, vel quum quis alteri in aequo ponitur, ut Hom. Iliad. XXI, 75. *ἀντί τοί εἰμ᾽ ἱκετάο αἰδοίοιο*, *ego sum tibi juxta aestimandus ac vir supplex* quovis honore dignus i. e. supplex *tibi sum non contemnendus*;

VIII, 546. *ἀντὶ κασιγνήτου ξεῖνός θ' ἱκέτης τε τέτυκται ἀνέρι, ὅστ' ὀλίγον περ ἐπιψαύῃ πραπίδεσσιν*, *hospes et supplex ex adverso fratri ponendus* i. e. *par est habendus fratri, si cujus animus paullulum misericordia commovetur*; — Iliad. IX., 116. *ἀντί πολλῶν λαῶν ἐστὶν ἀνὴρ, ὅντε Ζεὺς κῆρι φιλήσῃ*, *multorum populorum instar est*, i. e. si multos populos ex adverso ei posueris, omnes exaequabit; — Iliad VIII, 163. *νῦν σ' ἀτιμήσουσι Δαναοί· γυναικὸς ἄῤ ἀντὶ τέτυξο*, *talis factus es*, *ut mulieri ex adverso ponendus sis* i. e. *instar mulieris factus es*; — Aristoph. in Equit. 1049. *ἀντὶ τοῦ λέοντός εἰμί σοι.* Haec significatio non est huic vocabulo postea nisi a poëtis interdum subjecta. Neque mirandum est. Usu linguae correpta et in diversos usus tracta delitescit paullatim prior vis praepositionum. Et Homerus ipse quodammodo viam rationemque liberioris usus monstravit. Collocavit enim *ἀντί* etiam sic, ut significet loco, vice, pro, ut Iliad. XXIV, 254. *αἴθ' ἅμα πάντες Ἕκτορος ὠφέλετ' ἀντὶ πεφάσθαι*, utinam vos omnes loco Hectoris obiissetis. Sed si accuratius haec consideraverimus, tum et hic alterum alteri, Hectori ejus fratres ex adverso poni inveniemus. Neque tamen pares ei opponuntur fratres, sed inferiores. Dicit enim Priamus haecce: Si vos omnes ex adverso pono, comparo Hectori illi, vos potius vellem, quam illum periisse. Vos enim omnes virtute Hectorem non aequatis.

In his locis, quae ex Homero attuli, *ἀντί* modo adverbium est, modo fluctuat quasi inter adverbium et praepositionem. At in praepositionum numero habendum est Od. XX, 307. *ἦ γάρ κέν σε μέσον βάλον ἔγχει, καί κέ τοι ἀντὶ γάμοιο πατὴρ τάφον ἀμφεπονεῖτο*, *pater tibi pro nuptiis exequias celebrasset*; quo in loco rei alteri altera opponitur, quae sit illi contraria; — Iliad XXIII, 650. *σοὶ δὲ θεοὶ τῶνδ' ἀντὶ χάριν μενοεικέα δοῖεν*, ubi Nestor cupit, ut Dii Achilli grata referant pro dato certaminis praemio; *ἀντί* post casum positum anastrophen non admittit; — Od. XX, 290. *τοῦτό τοι ἀντὶ ποδὸς ξυνήϊον, ὅν ποτ' ἔδωκας Ὀδυσσῆϊ δόμον κατ' ἀλητεύοντι*, ubi bubulcus Ctesippum, procorum superbissimum occidit, contumeliam Ulyssi antea illatam vehementer vindicans in illum.

Hinc profecti scriptores postea, notione comparationis omissa, *ἀντί* praepositione utuntur:

quum quis quem in locum alius sufficere, vel subrogare in suum locum, vel quum quis in vicem alius succedere dicitur:

Xenoph. Anab. III, 1, 47. *ᾑρέθησαν ἄρχοντες ἀντὶ μὲν Κλεάρχου Τιμασίων, ἀντὶ δὲ Σωκράτους Ξανθικλῆς.* Vid. Xen. Hist. Graec. I. 1, 27; — Cyrop. IV, 5, 58; — VI. 1, 12; — III, 1, 12. —

quum mutatio conditionis indicatur. Et est quidem ea primum ita comparata, ut e priore conditione quis transire in aliam ab illa plane diversam, vel ut reipublicae status, vitae, morum conditio mutari in contrarium dicatur; Xen. Anab. III, 1, 17. *ἐστρατεύσαμεν ἐπ' αὐτὸν ὡς δοῦλον ἀντὶ βασιλέως ποιήσοντες καὶ ἀποκτενοῦντες*; —

Cyrop. VIII, 1, 20. *ἐγένετο αὐτῷ φίλος χρήσιμος ἀντὶ ἀχρήστου:* — Memorab. Socr. II, 7, 12.; — Demad. fragm. 268; — Dinarch. 74 et 96; — Herodot. VI, 32; — Demosth. de fals. leg. 386. *πῶς οὐ δεινὸν — τὴν αὐτὴν εἰρήνην τῇ μὲν ἐκπεμψάσῃ πόλει τῶν μὲν συμμάχων ὄλεθρον, τῶν δὲ κτημάτων ἀπόστασιν, ἀντὶ δὲ δόξης αἰσχύνην γεγενῆσθαι, τῶν δὲ πρέσβεων τοῖς κατὰ τῆς πόλεως ταῦτα πράξασι, προσόδους, εὐπορίας, κτήματα, πλοῦτον ἀντὶ τῶν ἐσχάτων ἀποριῶν εἰργάσθαι;* — ibid. 434.; — Aeschin. de fals. leg. 250.

Latini hoc praepositionibus *ex*, *pro*, Germani *anstatt*, *aus* exprimunt, ut Liv. XXXI, 11. *Masinissam Romanis ex hoste amicum factum*; — Cic. pro Rosc. Am. 18. *ex minima tenuissimaque republica maximam et florentissimam nobis reliquerunt*; — Cic. de leg II, 5. *si quae praecepta medici inscii imperitique pro salutaribus montifera conscripserint*; — *Fierent juvenes subito ex infantibus parvis*; — Plaut. Most. I, 2, 79. *eccum herilem filium video corruptum hic ex adulescentulo optimo*; Terent. Andr. I, 1, 10. *feci ex servo, ut esses libertus mihi*; — Sallust. Cat. 5. *ut respublica paullatim immutata ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissima facta sit, disserere.* — Sed Graeci quoque simili modo *ἐκ* praepositione utuntur pro *ἀντί*, ut Demosth. Olynth. III. *οἱ μὲν ἐκ πτωχῶν πλούσιοι γεγόνασιν, οἱ δὲ ἐξ ἀδόξων ἔντιμοι*; — de reb. Chers. *τούτων μὲν ἐκ πτωχῶν ἔνιοι ταχὺ πλούσιοι γεγόνασι, καὶ ἐξ ἀνωνύμων καὶ ἀδόξων ἔνδοξοι, ἐκ δ' εὐπόρων ἄποροι:* — Phil. III. *μέγας ἐκ σμικροῦ καὶ ταπεινοῦ τὸ κατ' ἀρχὰς ὁ Φίλιππος ηὔξηται.* Ubi genitivus autem, qui a praepositione *ἀντί* dependet, plura vocabula una comprehensione complectitur, tum Latini locutionibus *pro eo-ut*, et *tantum abest*, *ut*, et quae sunt ejusmodi aliae, se expedire debent. Compara Isocrat. de pace, 27 et 30 et Liv. XXII, 1. 2. —

Huc etiam pertinet is usus praepositionis, a) ex quo quis dicitur contra facere ac homines illum facturum opinabantur: Xenoph. Ages. I, 16. *ὁ Ἀγησίλαος ἀντὶ τοῦ ἐπὶ Καρίαν ἰέναι εὐθὺς ἀντιστρέψας ἐπὶ Φρυγίας ἐπορεύετο;* — vide Hist. Gr. III, 4, 12. Hier. V, 1.;

b) ubi cui quid contra ac ratus erat evenit: Demosth. in Mid. 551. *ἀντὶ τοῦ δίκην ὑπὲρ ὧν ἐπεπόνθειν λαβεῖν, δοῦναι πραγμάτων, ὧν οὐδὲν ἐμοὶ προσῆκε, δίκην ἐκινδύνευον:* — Demosth. de f. leg. 445, 434, 386: — Isocr. Phil. 21.; Archid. 28.; — Aesch. de f. leg. 301.; — Demosth. cor. 264;

c) ubi quis contra facit ac par erat: Xen. Cyrop. VI, 2. 19. *Κροῖσος ἰδὼν ἡττημένους ἀντὶ τοῦ ἀρήγειν τοῖς συμμάχοις φεύγων ᾤχετο:*

d) ubi quis in contrariam priori conditionem adducitur: Xen. Cyr. VI, 4, 18. *οἱ ἀπὸ τῶν πύργων τοὺς πολεμίους παίοντες ἀμηχανεῖν ἀντὶ τοῦ μάχεσθαι ποιήσουσιν:* — Cyr. VIII, 8, 10.; —

e) ubi quis crimina adversarii refellere et redarguere studet: Xenoph. Memor. I. 2, 64. *ἀντὶ μὲν τοῦ μὴ νομίζειν θεοὺς, ὡς ἐν τῇ γραφῇ γέγραπτο, φανερὸς ἦν θεραπεύων τοὺς θεοὺς μάλιστα τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, ἀντὶ δὲ τοῦ διαφθείρειν τοὺς νέους*

φανερὸς ἦν τῶν συνόντων τοὺς πονηρὰς ἐπιθυμίας ἔχοντας, τούτων μὲν παύων, τῆς δὲ καλλίστης καὶ μεγαλοπρεπεστάτης ἀρετῆς προτρέπων ἐπιθυμεῖν, tantum aberat, ut Socrates id quod ei crimini est datum, deos esse negaret, ut eos magis coleret, quam ceteri homines: tantum aberat, ut adolescentes corrumperet, ut illorum, qui illo uterentur, si qui pravis cupiditatibus essent dediti, eos ad comprimendas atque restinguendas eas incitaret, studioque impleret pulcherrimae illius et praeclarissimae virtutis, in qua et civitatum et familiarum est fundata salus; — Demosth. cor. 269.

Tum generatim *ἀντί* dicitur, quum rei res opponitur, quae non prorsus contraria sit, quum qua res in melius aut deterius mutatur, quum quis aliud quid instituit, quam quod antea in usu erat, quum aliud quid agit, quam quod agere potuit, vel antea egit: Xen. Cyr. VI, 1. 29. *ταύτην τὴν διφρείαν κατέλυσεν· ἀντὶ δὲ τούτου πολεμιστήρια κατεσκευάσατο ἅρματα:* — Thuc. VII, 28. *ἡ πόλις ἀντὶ τοῦ πόλις εἶναι φρούριον κατέστη, quae prius urbs erat, tunc in castellum commutata erat, ut non amplius urbs esset, sed castellum potius quoddam ab hostibus obsessum esse videretur;* — Xen. Cyr. V, 1, 21. —

Ἀντί praepositione Homerus etiam utitur, ubi pro beneficiis aut pro injuriis acceptis gratia rependitur, Iliad. XXIII, 650. Od. XXII, 290. Et hac in significatione posteriores saepissime praepositionem collocabant:

ubi beneficiis beneficia, merita compensantur: Xen. Ages. II, 29. *ἐνόμιζε γὰρ τῷ μὲν Αἰγυπτίῳ χάριν ἀποδώσειν ἀνθ' ὧν εὐεργετήκει τὴν Λακεδαίμονα:* — Xen. Hist. gr. I, 6, 10; — Anab. I, 3, 4.; — V, 5, 14.; VI, 4, 32.; VII, 7, 8.; — Cyr. VI, 1, 48.; — VII, 2, 12.; — VIII, 2, 12.; — VIII, 4, 2.; — VIII, 3, 31.; — IV, 6, 8.; — III, 1, 34.; — Demosth. cor. 325, 302, 267; —

ubi malis bona compensantur, mala gratia refertur: Xen. Cyrop. IV, 5, 32. *ἵνα μή σοι ἀντὶ χαρίτων ἔχθραι ὀφείλωνται;* — Hist. Gr. I, 7, 18 et 33; — Demosth. cor. 264; — in Mid. 550 et 551; — Dinarch. in Aristog. 86; — Xenoph. Hier. IV, 5; —

ubi bonis mala compensantur, aut non compensantur: Xen. Hier. IV, 5.; — Cyrop. IV, 6, 5.; —

ubi mala malis compensantur: Xen. Hist. gr. II, 4, 17. *πάντες ὁμοθυμαδὸν ἀνθ' ὧν ὑβρίσθημεν τιμωρώμεθα τοὺς ἄνδρας:* — IV, 8, 6.; — Cyrop. V, 4, 21. —

Praeterea *ἀντί* collocatur:

quum quid qua re commutatur:

Herodot. III. 59. *νῆσον ἀντὶ χρημάτων παρέλαβον:* — Isocrat. Panath. 44. *αἱ αἰτίαι, δι' ἃς μετέλαβον τὴν πολιτείαν τὴν ὑπό τινων ψεγομένην ἀντὶ τῆς ὑπὸ πάντων ἐπαινουμένης, αὗται ἦσαν:* — Isocr. Archid. 138. *κάλλιόν ἐστιν ἀντὶ θνητοῦ σώματος ἀθάνατον δόξαν ἀντικαταλλάξασθαι:* — Isocr. Areop. 30.; — Demosth. cor. 270.; — Xen. Cyrop. V, 1, 32; — VIII, 3, 26.; — Interdum etiam *ὑπέρ* et *πρός* eodem paene

modo dicuntur: Isocrat. ad Phil. 109. *ἴδοις ἂν καὶ τῶν ἰδιωτῶν τοὺς ἐπιεικεστάτους ὑπὲρ ἄλλου μὲν οὐδενὸς ἂν τὸ ζῆν ἀντικαταλλαξαμένους, ὑπὲρ δὲ τοῦ τυχεῖν καλῆς δόξης ἀποθνήσκειν ἐν τοῖς πολέμοις ἐθέλοντας*, ubi tamen praepositioni *ὑπέρ* subest notio commodi, utilitatis; — Plat. Phaedo. 69. *μὴ γὰρ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετὴν ἀλλαγὴ, ἡδονὰς πρὸς ἡδονὰς καί λύπας πρὸς λύπας καὶ φόβον πρὸς φόβον καταλλάττεσθαι, καὶ μείζω πρὸς ἐλάττω ὥςπερ νομίσματα;* —

cum quis alii anteponitur, vel quum res rei praefertur: Xen. Anab. I, 9, 9. *πᾶσαι αἱ πόλεις Κῦρον εἵλοντο ἀντὶ Τισσαφέρνους*: — Cyrop. VIII. 2, 9; — Anab. I, 7, 4. *πολλοὺς οἶμαι ποιήσειν τὰ παρ' ἐμοὶ ἑλέσθαι ἀντὶ τῶν οἴκοι;* — I, 7, 3.; — Cyrop. V, 2, 12.; — IV, 5, 50.; — V, 2, 8.; — Demosth. de cor. 263, 299.; de f. leg. 419.; Olynth. init. — Similiter Romani quoque *ante* usurpant. Cic. de offic. l. III, 17. malitia mala bonis ponit ante. —

Hic et singularis praepositionis usus in poëtis est animadvertendus, ex quo *ἀντί* post comparativum pro solo genitivo ponitur: Soph. Antig. 183. *μείζον' ὅστις ἀντὶ τῆς αὑτοῦ πάτρας φίλον νομίζει, τοῦτον οὐδαμοῦ λέγω*, ***qui potiorem patria sua amicum ducit, eum in nullo honoris loco esse dico;*** — Trach. 577, 598., — Eurip. Suppl. 419. — Similiter *ἀντὶ* post *οὐκ ἄλλος* ponitur pro genitivo solo: Eurip. Herc. 519. *οὐκ ἔσθ' ὅδ' ἄλλος ἀντὶ σοῦ παιδὸς γέρον;* — Hel. 582.; — Sophocl. Aj. 444; Col. 488.; — Aristoph. Nub. 653. — Interdum *πρό* et *παρά* eodem modo adhibentur: Plat. Phaed. *εἰ μὴ δικαιότερον ᾤμην καὶ κάλλιον εἶναι πρὸ τοῦ φεύγειν τε καὶ ἀποδιδράσκειν ὑπέχειν τῇ πόλει δίκην*: — Thuc. I, 23. *πυκνότεραι παρὰ τὰ ἐκ τοῦ πρὶν χρόνου μνημονευόμενα*: — Herodot. I, 62. *οἷσιν ἡ τυραννὶς πρὸ ἐλευθερίης ἦν ἀσπαστότερον.*

Sophocles uno loco *ἀντί* ita adhibuit, quemadmodum alioquin Graeci *πρός*, Romani *per*, collocabant, scilicet in obtestando. Locus ille est in Oed. Col. vs. 1326. *σ' ἀντὶ παίδων τῶνδε καὶ ψυχῆς ἱκετεύομεν*, ubi poëta principalem praepositionis significationem ante oculos habuit, ita ut sensus sit: Supplicamus tibi liberis hisce, quibus tibi nihil dulcius esse potest, et tua salute exadversum positis etc. Pariter loci illi, in quibus *ἀντί* abundare videtur post comparativum vel post *οὐκ ἄλλος*, sunt interpretandi: Soph. Antig. 182. qui amicum exadversum patriam positum (ut deliberet utrum praeferat) potiorem ducit, eum repudio. —

Ἀπό, ὑπό, πρό praepositiones, proprie dativi sunt, in quibus *ῳ* attenuatum est, ita ut ex *ἀπῷ, ὑπῷ, πρῷ,* (*πρῶι*) primum formae *ἀπώ, ὑπώ, πρώ*, deinde *ἀπό, ὑπό, πρό* sint factae. Exstant etiam horum adverbiorum comparativi *ἀποτέρω, προτέρω*, et superlativus *ἀπωτάτω*. Eodem modo adverbia, quae supra attuli *ἄνω, κάτω, ἔξω, εἴσω, πρόσω* dativi sunt putanda, quorum casus autem, quoniam non adverbia esse desierunt, non adeo erat attenuatus. At quaeritur, cur ex his adverbiis non pariter sint praepositiones formatae *ἀνό, κατό. ἐξό, εἰσό* atque ex illis? Iis est respondendum, id ob nullam

aliam causam factum esse, quam quod Graeci amore quodam neutrum pluralis amplectebantur adverbii loco. Quapropter praeter adverbia ista in ω excidentia inveniuntur etiam talia, quae exitum in α habent, ut ἄνω, ἀνωτέρω, ἀνωτάτω et ἀνώτατα: — κάτω, κατωτέρω, κατωτάτω et κατώτατα: — πρόσω, προσωτέρω, προσωτάτω et προσώτατα. Itaque ἀνά, κατά, ἐξ, εἰς, πρός praepositiones non ex ipsis adverbiis ἄνω, κάτω, ἔξω, εἴσω, πρόσω sunt ortae, sed proprie neutra pluralis sunt, quorum alia restricto accentu alia forma casus prorsus abjecta in praepositionum usum abierunt Adjectiva autem harum praepositionum ἄνος, κάτος, ἔξος, ἔσος, πρόσος interciderunt temporibus; comparativi et superlativi in usu manserunt, ut ἀνώτερος, ἀνώτατος, κατώτερος, κατώτατος, ἐξώτερος ἐξώτατος, ἐσώτερος, ἐσώτατος, προσώτερος, προσώτατος.

De praepositione ἀπό non opus est copiosius dicere. Nota ejus natura. Primo enim loco ἀπῷ τόπῳ, *remoto loco*, dicebatur, ut ἀπῷ τῆς πατρίδος τόπῳ, *loco remoto a patria*; tum liberius ἀπῶ τῆς πατρίδος, procul a patria; prostremo ἀπὸ τῆς πατρίδος. Motum designans a loco praepositio postea multis modis est usurpata.

Quod ad ὑπό praepositionem attinet, est illa mutato ψ in π nata ex abolito ὑψῷ, dativo adjectivi ὑψός „altus," cujus genitivus ὑψοῦ solus servatus est. Praeterea aliquot adverbia poëtis usitata supersunt, ut ὑψόσε, ὑψόθι, ὑψόθεν, ὑψί, ὑψοτάτω. Prima igitur significatio hujus praepositionis est: alto loco, alte, sublime, quae in Homeri versibus est cognoscenda hisce: Od. IX, 140. ἐπὶ κρατὸς λιμένος ῥέει ἀγλαὸν ὕδωρ κρήνη ὑπὸ σπείους, e *specu fons prorumpit in altum*; — Iliad. XIX, 16. ὡς εἶδ', ὥς μιν μᾶλλον ἔδυ χόλος· ἐν δέ οἱ ὄσσε δεινὸν ὑπὸ βλεφάρων, ὡσεὶ σέλας ἐξεφάανθεν, *sub palpebris suspicienti oculi arserunt.* — Quae autem in altum ascendunt, ea habeant necesse est, unde exeant. Itaque altera exstitit significatio *sub*, ex qua ductae sunt omnes ceterae significationes, quas deinde haec praepositio nacta est.

Ἐπί et περί praepositiones ceteris magis decurtatae esse videntur. Forma enim praepositionis πέριξ (πέριξα), qua inprimis Jones utebantur, adducor, ut illas ex ἔπισσα et πέρισσα, vel potius ἔπιττα et πέριττα, neutro adjectivorum ἔπισσος et πέρισσος, ortas esse credam. Literae σ, τ, ξ saepe commutantur. Adjectivum ἔπισσος uno tantum loco nobis servatum est. Hecataeus enim voce ἔπισσαι usus est, quam grammatici per ἐπιγιγνόμεναι, die Nachgebornen, interpretantur. Etymolog. magn. §. 596, 32. exibet haecce: ἐπίσσας λέγεσθαι Ἰωνικῶς, παρ' Ἑκαταίῳ, ἔστιν ἔπισσαι αἱ ἐπιγιγνόμεναι τοῖς προγόνοις.

Περιττά ea sunt, quae modum excedunt, supra modum sunt, excellunt. Sic Hesiodus περισσὰ δῶρα, *egregia dona*, dicit. Eadem est etiam praepositionis ἐπί prima significatio, quae latine per praepositiones *supra*, *prae*, germanice per *über* verti potest. Hom. Od. IV, 722. πέρι γάρ μοι Ὀλύμπιος ἄλγε' ἔδωκεν ἐκ πασέων, *supra modum*, *eximie*, *abunde*, *nimium* doloribus me affecit; ubi πέρι idem est quod περιττά: — Iliad. VIII. 161. Τυδείδη πέρι μέν σε τίον Δαναοὶ ἕδρῃ τε κρέασιν τ' ἠδὲ πλείοις δεπάεσσιν, *te magis quam alios*, *te praecipue honorabant*; — Od. XIV, 146. πέρι γάρ μ' ἐφίλει καὶ

κήδετο θυμῷ: — περιττά, περιττὸν, περιττῶς, περι φιλεῖν idem quod ἔκπαγλα, ἔκπαγλον, ἐκπάγλως φιλεῖν est; — Iliad. IX, 53. *Τυδείδη, περὶ μὲν πολέμῳ ἔνι κάρτερός ἐσσι, καὶ βουλῇ μετὰ πάντας ὁμήλικας ἔπλευ ἄριστος*, ubi περὶ κάρτερος significat *longe fortissimus in bello*; — Iliad XI, 557. περὶ γὰρ δίε νηυσὶν Ἀχαιῶν, *maxime navibus metuebat*; — Od. VIII, 281. πέρι γὰρ δολόεντα τέτυκτο, *nimium quantum ad fallendum aptata erant*; — Od. XI, 550. *Αἴας, ὃς πέρι μὲν εἶδος, πέρι δ' ἔργα τέτυκτο τῶν ἄλλων Δαναῶν, μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα, qui ceteris Danais praestabat facie et rebus gestis*; quo loco περὶ — τέτυκτο idem quod ἄριστος ἔην est vs. 469: *Αἴας, ὃς ἄριστος ἔην εἶδός τε δέμας τε τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα*; vel idem quod περιττὸς ἦν. *Περιττὸν εἶναι τῶν ἄλλων* idem valet quod περὶ τῶν ἄλλων εἶναι, sive τῶν ἄλλων περιεῖναι, περιγίγνεσθαι. — Compara Virg. Aen. I. XII, 839. *Hic genus Ausonio mixtum, quod sanguine surget, supra homines, supra ire deos pietate videbis*; — ubi *supra ire* idem est quod *superare*; — Cic. de nat. deor. II, 13. *ratio recta constansque, quae supra hominem putanda est deoque tribuenda.* — Vid. Od. II, 88, 116; — VII, 110; — XXIV, 24; — III, 95; — Iliad. XXI, 105.; — XI, 180.; — XIII, 374, 631.; — Od. III, 112.; — Iliad. VII, 289. — Ex hac significatione illa altera est deducta, qua id, quod circa quem hominem vel rem est, indicatur, ex qua ceterae omnes emanaverunt. —

Σύν, praepositionem, unde latina *cum* originem duxit, ex ξυνός, κοινός natum esse, id jam asperior illa forma ξύν, quae se persaepe in verbis compositis offert, docet. Praeter adverbia κοινῶς, κοινῇ, ξυνῇ (sc. ὁδῷ), quae ex adjectivo prodeunt, etiam neutrum pluralis κοινά ita usurpatum invenitur. Hoc κοινά s. ξυνά usu naturam praepositionis assumsisse videtur, qua re, ut in ἐπί et περί et pluribus aliis ad praepositiones declinatis adverbiis flexio sive casus abjectus est. Significat autem κοινά *communiter, communi ratione, gemeinsam, zusammen, sammt, mit,* ut patebit ex locis hisce: Xenoph. Cyr. V, 3, 22 et 23 καλέσωμεν καὶ τοῦτον, ἵνα κοινῇ συμβουλευσώμεθα πάντες: — — ἐβουλεύσαντο κοινῇ φυλάττειν: — Cyr. V, 5, 19 παρεκάλουν ἔγωγέ σε, ὅπως κοινῇ μὲν αὐτοὺς διώκοιμεν, κοινῇ δὲ τιμωροίμεθα, κοινῇ δὲ, εἴ τι καλὸν κἀγαθὸν συμβαίνοι, τοῦτο καρποίμεθα: — Hist. Gr. III, 2, 13 ἐτύγχανε καὶ Φαρνάβαζος πρὸς Τισσαφέρνην ἀφιγμένος, ἅμα μέν ὅτι στρατηγὸς τῶν πάντων ἀπεδέδεικτο Τισσαφέρνης, ἅμα δὲ διαμαρτυρόμενος ὅτι ἕτοιμος εἴη κ ο ι ν ῇ πολεμεῖν και ξυμμάχεσθαι καὶ συνεκβάλλειν τοὺς Ἕλληνας ἐκ τῆς βασιλέως: — Thuc. III, 13 ἐνομίζομεν ἀποστήσεσθαι διπλῆν ἀπόστασιν, ἀπό τε τῶν Ἑλλήνων μὴ ξ ὺ ν κακῶς ποιεῖν αὐτοὺς μετ' Ἀθηναίων ἀλλὰ ξυνελευθεροῦν, ἀπό τε Ἀθηναίων μὴ αὐτοὶ διαφθαρῆναι ὑπ ἐκείνων ἐν ὑστέρῳ. — Ex his locis jam affinitas adverbiorum κοινῇ et ξύν cognosci potest. Sunt enim ita usurpata ut alterutrum pro alterutro, κοινῇ πολεμεῖν pro ξυμπολεμεῖν, et ξὺν μετ' Ἀθηναίων pro κοινῇ μετ' Ἀθηναίων positum esse videatur. Adverbium κοινῇ praepositionibus σύν et μετά, ut in latino sermone *unâ* praepositioni *cum* conjungi solet, ubi augendo et cumulando est —

Praeterea *σύν* praepositio pariter atque adjectivum *κοινός* cum dativo conjungitur Itaque transitio adverbii ad praepositionem facilis fuit, id quod exemplum hocce ex Sophoclis Ajace vs. 578 manifeste docet: *τὰ δ' ἄλλα τεύχη κοίν' ἐμοὶ τεθάψεται*: ubi *κοίν' ἐμοί* idem est, quod *ξὺν ἐμοί*. —

Μετά (germanice mit) ex neutro pluralis *μέτα* adjectivi *μέσος*, *μέτος*, medius, exstitit. Literae *σ* et *τ* cum apud Homerum, tum apud Atticos saepissime commutantur, et unum idemque vocabulum modo per *σ*, modo per *τ* scriptum invenitur, ut *μεταίχμιον* et *μεσαίχμιον*, *μέταυλος* et *μέσαυλος*. — *Μετά* neutrum pluralis accentu ad ultimam restricto primum adverbialiter, ut Iliad. II, 446, 477., — XVIII, 515., deinde pro praepositione est collocatum; et proprie quicquid inter duas partes est interjectum significat. Respondet quodammodo Germanico *zwischen*, quod ex *zuiskem*, bini, exortum est. Ita *μεταίχμιον*, ex *μετά* et *αἰχμή* compositum, spatium, quod est inter duos exercitus, indicat. Multiplices inde significationes a nativa ductae sunt, quas omnes enumerare limites hujus commentationis non concedunt; omnibus tamen nota illa principalis subest. Ex multis duo tantum exempla afferamus, in quibus prior hujus praepositionis usus potest intelligi: Od. X, 320. *Ἔρχεο νῦν συφεόνδε, μετ' ἄλλων λέξο ἑταίρων!* abi nunc in haram porcorum et recumbe locum capiens inter ceteros hospites medium, i. e. recumbe inter ceteros hospites; — Iliad. XIII. *μετὰ Βοιωτῶν ἐμάχοντο* medium inter Boeotios locum tenentes, i. e. cum iis conjuncti pugnabant. — Quemadmodum *μέσος* adjectivum cum genitivo et dativo construitur, sic et praepositio *μετά* iisdem casibus conjungitur ab Homero, ad quos deinceps significatione paullulum mutata accusativus accessit.

Παρά pariter atque *μετά* neutrum pluralis, restricto ad finem accentu, primum adverbium, post praepositio est facta. In poëtarum libris etiam *παραί*, *μεταί*, *'παί* inveniuntur. Exorta autem est *παρά* ex *πάρος*, quod adjectivum non, ut plura alia, ex quibus praepositiones paullatim sunt factae, per successiones quasdam est traditum. Restat autem adverbium temporis *πάρος*, quo inprimis Homerus usus est. Uno tantum in versu, Iliad. VIII, 254 *πάρος* localiter dictum pro praepositione est. Quem usum adverbii si cum tritissima illa significatione, quam postea tenuit *παρὰ* praepositio, contulerimus, illam primo initio ea, quae proxima ante hominem quem vel rem sunt, indicasse apparebit. Innuit hoc Homerus in Od. I, 154 verbis hisce: *Φήμιος ἤειδε παρὰ μνηστῆρσιν ἀνάγκῃ*, ***coram procis canebat coactus***; — similiter Dinarch. in orat. in Arist. 89 *προδοσίᾳ κρινομένῃ παρ' ὑμῖν*; — Demosth. 37 *ἀνθρώπου δίκην δεδωκότος παρ' ὑμῖν*: — Aesch. de f. leg. 226 *τῶν ἐπὶ τοῦ βήματος παρ' ὑμῖν λόγων ὑμεῖς ἀκηκόατε*: — Demosth. d. f. leg. 4 5., — Aesch. de f. leg. 188., — Dinarch. in Demosth. 4. — Hoc Latini ***coram***, Germani ***vor*** dicunt. — Quae autem ante quem sunt, ea quasi necessitudine quadam inter se continguntur: unde praepositio significationem illam, quam postea maxime scriptores tenebant, ***praeter***, ***nebeu*** accepit.

Ὑπέρ praepositio, ex qua et spiritu aspero in s condensato latina *super* originem duxit, ex abolito ὕπερα, neutro adjectivi ὕπερος, orta est, cujus comparativum ὑπερώτερος Hesychius, superlativum ὑπερώτατος Pindarus in Nem. VIII, 73. praebet. — Vulgo per syncopen ὑπέρτερος, ὑπέρτατος dicebatur. Ejusdem originis ὁ ὕπερος sive τὸ ὕπερον est, qua voce ὁ δοίδυξ, pistillus, s. pistillum, significatur, et ἡ ὑπέρα, funis, quo antennarum cornua transferuntur, tenduntur, laxantur.

Facilis et hic transitio ab adjectivo in adverbium et prapositionem est. Sic eam partem, ut exemplo rem explicem, quae supra aurem, est ὕπερα οὔατος μέρη primitus dicebant, tum substantivo omisso ὕπερα οὔατος, postremo ὑπὲρ οὔατος. Id plurimis Homeri exemplis confirmatur: Iliad. XIII, 616 ὁ δὲ προσιόντα μέτωπον ῥινὸς ὑπὲρ πυμάτης ἔβαλεν *superam nasi extremi partem* i. e. *super naso extremo*; — Iliad. XV, 433 τὸν ἔβαλε κεφαλὴν ὑπὲρ οὔατος ὀξέϊ χαλκῷ; — Iliad. IV, 528.; — V, 145; XI, 108. —

Διά et *ἀμφί* praepositiones commune habent primordium. Sunt enim illae ex adjectivis numeralibus δύο et ἀμφώ natae, id quod vel ex multis verbis cum his praepositionibus compositis potest cognosci, in quibus notio numeralium illorum continetur. Ejusmodi verba sunt: ἀμφίστομος, ἀμφίγλωσσος, δίστομος, *bilinguis*, (*bis* ex graeco δίς ortum est, ut *bellum* ex *duellum*), ἀμφικέφαλος, *biceps*, ἀμφιπρόσωπος, *bifrons*, ἀμφίχωλος, *utroque pede claudus*, ἀμφιλαῖος, *utraque manu laevus*, ἀμφιδέξιος, *utraque manu dexter*, ἀμφίαλος, *bimaris*, ἀμφικέλευθος, ἀμφίκουρος, *medius inter tres fratres*, ἀμφιμακρός, ἀμφιβραχύς ἀμφιπλίξ, *pedibus alternatim motis*, ἄμφιππος, *qui duobus equis vehitur, ita ut ex uno in alterum transiliat*, ἀμφίβολος, *ambiguus (ambigo)*, *anceps (ambcaperc)*, ἀμφισβητῶ, quod ex ἀμφίς et βατεῖν, βαίνω, ut *dubito* ex duo et ito, eo, ut *ambigo* ex ambo et ago ortum est, ich zwei-fele, quasi inter duo consilia fluctuo; — δίφωνος, δίφυλλος, δίφυιος, διφυής διαγιγνώσκω, *dignosco*, διακρίνω, *discerno*, διαδικάζω, *dijudico*, διαζεύγνυμι, *disjungo*, διανοσφίζω, *dirimo*, διαῤῥήγνυμι, *diffringo*, διασπάω, *divello*, *dilacero*, διασκεδάννυμι, *dissipo*, *dispergo*, διαλύω, *dissolvo*, διώρυξ, διώρυγμα, *fossa per locum quem* ducta, aliaque plurima.

Διά praepositio ex δοιά, neutro pluralis antiquae formae δοιοί, αί, ά ortum est. Diphthongus οι saepe in υ et ι transit. Sic ex δοιοί factum est δύο (duo, two, zwo) ex κοίρανος κύριος, ex δύο autem δίς (bis) δισσός, διπλόος (duplex) δίχα. — Omnibus locis, quibus διά locali sensu, vel etiam de tempore, dicitur, notio illa principalis, quamvis interdum obscura, agnoscenda est. Plurimus ejus usus est in verbis, qui motum quo indicant, ut ire, proficisci, sequi, venire, pervenire, penetrare, prorumpere, volare, navigare etc. ubi iter quasi secatur in duas partes. Similiter Romani dicunt: amnis urbem secat (διὰ τῆς πόλεως ῥεῖ), avis aethera secat, vox secat aëra, undas, aequor secare puppe etc. Confr. Hom. Iliad. IV, 481 δὶ ὤμου ἦλθεν, *per humerum transiit*; — XVI, 405 διὰν δ' αὐτοῦ πεῖρεν ὀδόντων, *per ejus dentes transegit*; —

V, 545 *ῥέει ποταμὸς διὰ γαίης*, *per terram*; — Od. XI, 580 *Λητὼ, Πυθώδ' ἐρχομένην, διὰ καλλιχόρου Πανοπῆος*, *Delphos euntem per Panopeum*; — Pind. Nem. VI, 81 *πέταται ἐπί τε χθόνα καὶ διὰ θαλάσσης τηλόθεν γ' ὄνυμ' αὐτῶν*: — Hom. Iliad. XIV, 288 *ἐλάτη μακροτάτη πεφυῖα δι ἠέρος αἰθέρ' ἵκανεν*, *per aërem*; — XXII, *αἰετὸς - εἶσι πεδίονδε διὰ νεφέων*, *per nubes*; — IX, 468 *σύες - εὑόμενοι τανύοντο διὰ φλογός*, *extendebantur per flammas*; — XII, 62 *διὰ τάφρον ἐλαύνεμεν ὠκέας ἵππους*: — XI, 118 *ἤϊξε διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην*, *per arboreta densa et silvam fugat*; — XVII, 618 *διὰ δὲ γλῶσσαν τάμε μέσσην perscetdit*; — *ἄραβος δὲ διὰ στόμα γίγνετ' ὀδόντων*, *inter duos dentium ordines*; — II, 40 *διὰ κρατερὰς ὑσμίνας*: — Od. II, 154 *τὼ αἰετὼ ἤϊξαν διά τ' οἰκία καὶ πόλιν αὐτῶν*, *inter domos et urbem*.

Significatio principalis est *inter*, *per*. Cum accusativo conjuncta etiam ad causas transfertur, ex quibus quid fit.

Similiter *ἀμφί*, praepositionem, ex adjectivo *ἄμφω*, ambo, ortam esse plurimi Homeri loci confirmant, quorum, quoniam propter angustos limites rem pluribus explicare vetamur, paucos tantum mox afferamus. Significat autem proprie *utraque parte*, *utrimque* ex qua significatione postea altera illa *circum* nata est.

Iliad. XI, 732 *κατεκοιμήθημεν ἀμφὶ ῥοὰς ποταμοῖο*, *zu beiden Seiten des Flusses*; — V, 722 *ἀμφ' ὀχέεσσι βάλε κάμπτυλα κύκλα*, *ad utramque partem currus*; — Iliad. XV, 608 *ἀμφὶ δὲ πήληξ σμερδαλέον κροτάφοισι τινάσσετο μαρναμένοιο*, *circum utrumque tempus*; — XIII, 704 *ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν πρυμνοῖσιν κεράεσσι ἀνακηκίει ἱδρως*, *utraque parte circa ipsorum ima cornua*; — IX, 654 *ἀμφὶ δέ τοι τῇ ἐμῇ κλισίῃ καὶ νηῒ μελαίνῃ μάχης σχήσεσθαι ὀΐω*, *utraque re*, *et tentorio meo et nave nigra*; — XVI, 826 *σῦς καὶ λέων μέγα φρονέοντε μάχεσθον πίδακος ἀμφ' ὀλίγης*, *uterque pugnat de fonte exiguo*; — XXIV, 161 *παῖδες μὲν πατέρ' ἀμφὶ καθήμενοι δάκρυσιν εἵματ' ἔφυρον· ὁ δ' ἐν μέσσοισι γεραιὸς ἐντυπὰς ἐν χλαίνῃ κεκαλυμμένος· ἀμφὶ δὲ πολλὴ κόπρος ἔην κεφαλῇ τε καὶ αὐχένι τοῖο γέροντος*, *filii utraque parte patris*, *circum patrem circumsedebant*: *ipse vero medius inter eos etc.* — *in utraque parte, capite et cervice etc.*; — XI, 633, 748; — XXI, 162. —